



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 3. Non est immunis à Simonia, qui pretio mercatur bona
spiritualia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

Praxis.

Hinc deducitur 1. A Magis, si Dæmoni divinum cultum adhibeant, veram Idololatriam committi, quæ licet à prophanitate Idololatriæ perfectæ Ethnicorum quoad intellectum quatenus non credunt, esse verum DEVM) deficiat; quoad voluntatem tamen & malitiam superat illam, tum quia prior ignorantia, hæc autem ex mera malitia committitur; tum quia simulationem & mendacium perniciosum, Deoque valde injuriosum continet, ut rectè Laym. l. c. c. 2. n. 3. notat.

Deducitur 2. Etiam eos superstitionis vitium incurere, qui aut rebus per se sacris v. g. aquæ benedictæ, sacris gratiis &c. infallibilem effectum attribuunt; aut certè ipsi etiam DEO cultum falsum v. g. per cæremonias veteris Legis, aut sua miracula & reliquias propositas, vel certè superfluum v. g. per cæremonias ludicras, aut ab Ecclesia non approbatas exhibent, uti communiter docent Authores.

Deducitur 3. Pariter Superstitionis crimen committi, cum vel per divinationem quis futura cognoscere, vel per maleficium aliis nocere, ope Dæmonis implorata, conatur; vel a muleta, aliisque similia improporcionata media ad varios effectus infallibiliter producendos adhibere præsumit, ut iterum conveniunt Doctores.

PRINCIPIUM III.

Non est immunis à Simonia, qui pretio mercatur bona spiritualia.

Sensus.

Hoc est, Quisquis bonum aliquod spirituale (quale censetur quodvis donum supernaturale ad animæ salutem directe institutum, aut spirituali ita annexum, ut vendi non possit nisi etiam spirituale bonum vendatur) pro pretio temporali per contractum onerosum & reciprocum commutat, gravissimum Simonia vitium committit.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. Reperiuntur. 1. q. 1. ubi appellatur execrabile flagitium. Cap. Si quis Episcopus, ibid. ubi turpissimum lucrum appellatur.

Oo 5

Ratio.

Ratio.

Quia gravis irreverentia & irreligiositas, imò, ut loquitur Layman. l. c., virtualis quaedam blasphemia est, quae cumque donum spiritualis gratiae ita tractare, ac si res vilis, vel ab arbitrio & potestate hominis dependeat, ut pretio estimari, & commutari possit. Unde S. Petrus Act. 8. Simon (à quo Simonia nomen accepit) simile donum spirituale vendi postulantem dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum DEI exestimasti pecunia possideri, addidisti in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te agere.* Et in c. Sicur. 1. de Simonia. Simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincere dicitur. in c. Sanè. 1. q. 3. 22. inftar publici criminis laesa Majestatis puniendum.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si antidotalis remuneratio pro tributa re spirituali in obligationem pacti ex justitiae & fidelitatis virtute deducatur, Simoniae vitium committi, uti Layman. tr. 10. c. ult. §. 2. n. 9. cum pluribus docet.

Deducitur 2. Etiam ab iis Simoniam committi, qui in absolutione aut dispensatione in votis, jaramentis, impedimenti matrimonii, irregularitate pretium aliquod petunt, uti idem Laym. cum aliis docet, licet non sit prohibitum aliquid ut mulctam pia causa applicandam exigere, ut Layman. 24. ait.

Deducitur 3. Eum quoque, qui in beneficio jus plene acquisitum necdum habens pecuniam offert ei, qui per se ac de recte impedire vult, quò minus ille jus acquirat, Simoniam saltem jure Ecclesiastico committere, uti iterum Layman. assert. 8. ex communi docet.

ARTICULUS VII.

De Principiis ad Sacramenta in genere spectantibus.

PRINCIPIUM I.

Non efficitur validum Sacramentum, nisi verbum accedat ad elementum.